


BINÆ DEDUCTIONES,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSIÆ,

QUIBUS,

ILLUSTRISSIMIS ATQUE REVERENDISSIMIS DOMINIS EPISCOPIS, VARMIENSI ET CULMENSI, TITULUM SAMBIENSIS, VEL POMESANIENSIS EPISCOPI, NULLO PLANE MODO, NULLUMQUE JUS DIOECESANUM ET EPISCOPALE IN SERENISSIMI REGIS BORUSSIÆ DITIONE COMPETERE,

TUM EX HISTORIA, TUM EX PACTIS LUCULENTISSIME DEMONSTRATUR, ET CONTRARIA ARGUMENTA, IN TRIBUS SIMUL ADJUNCTIS SCRIPTIS ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI EPISCOPI VARMIENSIS ALLATA, REFUTANTUR,

UNA CUM

VARIIS LITERIS AD REM HANC PERTINENTIBUS.

ANNO MDCCXXXIII.

1/2 twardo.

I.

Scriptum, ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Cracoviensi, Duce Severiæ, pie nunc defuncto, ad Serenissimi Regis Borussiæ Legatum Ordinarium, Varsaviæ commorantem, anno superiore missum.

Pro Memoria.

Excerptum ex literis Celsissimi Principis Episcopi Varmiensis & Sambiensis ad Celsissimum Principem Episcopum Cracoviens. Ducem Severiæ, d. 6. Martii 1732. datis.



Ostquam ab annis septem aliqua quiete gauderem, ratione tituli Episcopatus Sambiensis, quem non proprio motu, sed à meis antecessoribus transmissum hucusque continuavi, nunc denuo ultra spem impetor literis Regentiæ Regiomontanæ, quatenus ab hocce titulo abstineam, alias pro firmo habens, quod literæ meæ ab eadem Regentia non acceptabuntur, sed retromit-

tentur. Cum tamen in anno 1725. die ſcilicet 11. Octobris luculenter hac de re Regimini illi Regiomontano ſcripſerim, quod in derogationem legum Eccleſiaſticarum & jurium Sacræ Regiæ Majeſtatis, D. m. C^mi^ & Reipublicæ à prætacto titulo, qui Pactis, Commiſſionibus, & Cautionibus Ser^rum^ Regum Poloniæ & ipſorum Ducum Pruſſiæ ſolidatur, nullatenus deſiſtere valeam; accepi reſponſum de dato 29. Decembr. anni ejusdem, tenoris ſequentis:

Verum, cum Sacra Regia Majeſtas, D. N. C. ſibi blandiatur, brevi fore, ut, quæ inter ſe & inclytam Rempubl. Poloniæ ortæ ſunt diſſenſiones & diſcordiæ, per amicabilem compoſitionem & ex animi ſententia ſopiantur, nullumque dubium ſit, quin tum ſimul hoc quoque negotium componi amicabiliter, talique tranſigi modo potuerit, ut in eo utrique parti acquieſcere liceat, prolixioribus repræſentationibus, deductionibusque, quas graves Ipſi eſſe ſentimus, Illuſtriſſimæ atque Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ moleſtiores eſſe nolumus.

Re-

Resuscitatam itaque ejusmodi tituli quæstionem, uti rem non exigui momenti defero Celsitudini V^{ræ}, Eandem instantissime rogando, quatenus pro indefesso circa conservationem jurium Ecclesiæ, atque pactorum Reipublicæ zelo, providentissima ad sopiendum hocce negotium media adhibere dignetur, &c. &c.

His communicatis, Celsissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, rogat Magnificum Dominum Residentem, quatenus validis suis apud Aulam Berolinensem remonstrationibus faciat quam optimum usum eorundem communicatorum. Adsunt etenim gravioris momenti negotia, illam Curiam inter & hancce Polonicam intercedentia, quæ facilitanda atque terminanda exoptantur; nec habetur necessarium, minoris considerationis res (prout

 est

eſt illa tituli præfati quæſtio) in apricum producere, quæ potius mutuas negotiationes interturbare atque augere, vel certe difficiliores reddere poſſent, dum de facto tituli ejusmodi quæſtio exacerbaret, non ſolum Epiſcopos, ac principaliter Celſiſſimum Primatem, illius Epiſcopatus immediatum & pacificum poſſeſſorem, ſed etiam Statum Nobilitarem, qui in ſuis comitiolis poſſet hoc exaggerare & ſumere pro jurium atque pactorum Reipublicæ infractione.

Quod ne eveniat, Celſiſſimus Princeps Epiſcopus Cracovienſis pro vero boni publici & reſtabiliendæ mutuæ harmoniæ zelo exoptat, ut præfata tituli quæſtio non ſuboriatur, vel ſaltem, juxta citatam de anno 1725. declarationem, ad futuram de negotiis majoribus conventionem remittatur, ac Celſiſſimus Epiſcopus Varmienſis

ensis in suo antiquo usu non interturbetur, tum quoque in aliis gravaminibus commendatis debita satisfactio subsequatur.

II.

Responsio ad praecedens scriptum, quam Serenissimi Regis Borussiæ Ministri, Ipsius jussu, die 19. Augusti 1732. Varsaviæ exhibuerunt.

POstquam Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ, Domino nostro clementissimo, renunciata sunt, quæ Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis, super titulo Episcopi Sambiensis, ab Ipso hactenus usurpato, non ita pridem ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum Cracoviensem perscripsit, qui primus fuit Illustrissimorum Dominorum Deputatorum, ab inclyta Republica Poloniæ, ad colloquia nobiscum instituenda,

enda, denominatorum, nuper autem præter ſpem & opinionem e vita diſceſſit, & immortalium adſcriptus eſt numero, poſt inexſpectatam ejus mortem, reliquis illuſtriſſimis Dominis Deputatis inclytæ Reipublicæ Poloniæ nos infra ſcripti juſſi ſumus ſignificare, Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Varmienſem nullo plane jure ſibi iſtiusmodi vindicare poſſe titulum.

Quemadmodum enim neminem latet in hiſtoria gentis Boruſſicæ mediocriter verſatum, Sambiam, quæ Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, parere geſtit imperio, peculiares olim ſuos, à Varmienſibus diſtinctos, ſemper habuiſſe Epiſcopos; ita Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis nunquam ſolide probare poterit, Epiſcopatum Sambienſem poſt translationem

Domi-

dominii Episcopalis ad potestatem secularem, cum Varmiensi, ut Ipse quidem in prædictis literis adseverat, conjunctum fuisse; id quod etiam sine eorum, qui Sambiæ imperarunt, consensu, nullo modo fieri potuisse, quilibet facili negotio cognoscit.

Contrarium potius tabulæ demonstrant publicæ, quæ non periere, sed typis exscriptæ in omnium versantur manibus, &, post obitum eorum quoque Episcoporum, qui primi Romano-Catholicam Religionem cum Evangelica commutarunt, diversos iterum Sambiæ & Pomesaniæ provinciis præfectos fuisse Episcopos, liquido confirmant.

Ut enim privilegii gratiæ, super bonis Magdeburgicis, anno 1540. a Duce Alberto dati, quod a Sambiensi & Pomesaniensi Episcopis Signatum est, mentionem jam

non faciamus, illud ex formula Regiminis de anno 1542, ac ex eo inſtrumento, quo Regii Polonici Commiſſarii anno 1566. die 5. Octobris receſſus, Ordinibus Boruſſiæ a Duce Alberto traditos, approbarunt, atque ex teſtamento jam memorati Ducis Alberti, anno 1567, die 17. Februarii confecto, & a Rege Poloniæ Sigismundo Auguſto, anno 1568, die 9. Julii Grodnæ confirmato, nec non ex ejusdem Ducis Alberti privilegio, anno 1567. die 16. Junii impertito, in quo duorum horum Epiſcoporum functiones, ſedes & ſalaria ordinata ſunt, & tandem ex receſſu Regiomontano, die 5. Julii 1567. dato, & a Polonicis Commiſſariis eodem anno, die 14. Julii approbato, ſatis ſuperque eluceſcit.

Et hoc ipſo deinde continuatum eſſe, donec Epiſcoporum eorum functiones, aliarum regionum exemplo, in quibus Re-

ligio

ligio Evangelica floret, conſtitutis Conſiſtoriis demandatæ fuerint, hiſtoriarum monumenta comprobant.

Propterea etiam Epiſcopi Varmienſes ea tempeſtate nunquam ſibi in mentem induxerunt, Sambienſis Epiſcopi titulum ſibi adſcribere, quemadmodum tot iterum acta publica manifeſte evincunt.

Teſtatur enim hoc pax perpetua, quæ anno Domini 1525, quo tempore Epiſcopus Sambienſis Religionem Evangelicam jam amplexus erat, inter Regem Poloniæ Sigismundum I, & Ducem Boruſſiæ Albertum Cracoviæ inita eſt, in qua Epiſcopus Mauritius Ferber, qui tum Varmiæ præfuit, non Sambienſis, ſed Varmienſis tantummodo Epiſcopus appellatus eſt.

Teſtantur idem acta & decreta commiſſionis Polonicæ, anno 1609. Regiomonti habitæ, in quibus Epiſcopus Varmienſis

Simon Rudnicki neque in principio, neque in ſubſcriptione eorum, alio, quam Epiſcopi Varmienſis, uſus eſt titulo.

Et cum deinde anno 1611. Elector Johannes Sigismundus, Regis & Reipublicæ Poloniæ deſiderio ſatisfacere cupiens, Regiomonti templum, in uſum Romano-Catholicorum, ſuis exſtruere ſumptibus promiſisſet, in cautione, ab Ipſius Legatis in comitiis Varſavienſibus extradita, inſpectio in doctrinam, mores & vitam Parochi hujus Eccleſiæ, Epiſcopo quidem Varmienſi, verum *non ut ordinario*, ſed *tanquam viciniori Epiſcopo*, conceſſa eſt, prout propria ſunt inſtrumenti verba, quæ in ipſa confirmatione Regis Poloniæ Sigismundi III, eodem anno, die 5ta menſis Novembris ſubſecuta, repetita leguntur, & certe non ſine ratione, ſed conſulto, & ea intentione adjecta ſunt, ne Epiſcopi Varmienſes anſam arriperent,

ea,

ea, quæ Ipſis intuitu hujus Eccleſiæ Parochi permiſſa ſunt, ad alia extendendi.

Quam ob rem etiam Epiſcopus Varmienſis Simon Rudnicki non ſolum in hac modo dicta confirmatione, ſed etiam in diplomate, quo Rex Poloniæ Sigismundus III. Boruſſiam Orientalem Electori Johanni Sigismundo, & tribus Ejus fratribus, ſimultaneo jure feudi anno 1611. conceſſit, iterum Epiſcopus tantum Varmienſis vocatus eſt, & ipſe in cautione Commiſſariorum Polonorum, Ordinibus Borusſiæ, anno 1612, die 22. Maji præſtita, ut & in recognitione de acceptis reverſalibus, ab Ordinibus Ducatus Boruſſiæ eodem facta die, & in receſſu formulæ juramentorum, Regi Poloniæ & Electori, anno 1612, die 22. menſis Maji præſtitorum, nec non in receſſu commiſſionis Regiomontanæ, anno 1612, die 29. Maji conſcripto, cum in

principio, tum in ſubſcriptione nominis ſui, non aliter, quam Epiſcopum Varmienſem ſe prædicavit, neque alius in ipſa confirmatione ejusdem receſſus, quæ die 16. Junii ſecuta eſt, ipſi tributus eſt titulus.

Quod autem ad Pacta Velavienſia, ſive Brombergenſia, attinet, in iis jurisdictio quidem ſpiritualis Epiſcopi Varmienſis in Parochum Eccleſiæ Romano-Catholicæ Regiomontanæ denuo confirmata eſt, ſed expreſſe ſecundum tenorem Pactorum antiquorum, ſcilicet eorum, quæ anno 1611. confecta ſunt, in quibus, ut ſupra memoratum eſt, Epiſcopo Varmienſi hæc jurisdictio demandata eſt *non ut ordinario, ſed tanquam viciniori.* Et cum hic caſus ſit plane ſingularis ac ſpecialis, is ad alios extendi nequit, ſed potius non expreſſos excludit. Quam ob cauſam in his etiam Pactis Velavienſibus Epiſcopus Varmien-

mienſis non Sambienſis, ſed Varmienſis tantum vocatus eſt, neque ipſe Epiſcopus Varmienſis Comes de Leszno in eorum ſubſcriptione alio uſus eſt titulo.

Primus autem omnium Dominorum Epiſcoporum Varmienſium fuit Johannes Stephanus Wysga, qui in ſubſcriptione Pactorum Olivenſium, anno 1660. confectorum, Sambienſis titulum nomini ſuo apponere tentavit, ſed infelici plane ſucceſſu. Conſtat enim cum ex tabulariis, tum ex iis, quæ hiſtoriarum Scriptores memoriæ prodiderunt, Eum hunc titulum, nomini ſuo tunc temporis adſcriptum, cultello eradere oportuiſſe, & ipſæ pacis tabulæ, quæ, typis evulgatæ, cujusvis patent oculis, manifeſte oſtendunt, titulum hunc in iis non reperiri.

Quodſi autem deinde unus & alter ipſius ſucceſſorum in literis ſuis, ad Regimen

men Borussiæ Orientalis exaratis, titulo illo aliquando uti præsumpserit, hoc tamen non continuo ab ipsis, tum etiam nullo jure, & contra Pacta, insciis ac non consentientibus dictæ Borussiæ Imperantibus, & contradicente Regimine, factum est, neque ullum Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri clementissimi juribus afferre potest præjudicium.

Postquam autem Sacra Regia Majestas, Dominus noster clementissimus, istiusmodi titulum a præsenti Domino Episcopo Varmiensi usurpari cognovit, Consiliariis Status intimis, quibus gubernatio Regni credita & commissa est, mandatum dedit, ut Illum eodem abstinere admonerent. Hi quoque imperio obtemperantes, Ipsius tunc temporis ad se ablegato Domino Judici generali & Chiliarchæ Stanislawski justitiam Regii postulati

amice quidem, ſed tam luculenter coram demonſtrarunt, ut Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus, ejusdem convictus, in binis ſuis poſtmodum ad ipſos exaratis epiſtolis titulum hunc omiſerit.

Sed neſcimus, quibus deinde conſiliis factum ſit, ut hunc denuo uſurpare titulum cœperit, & iteratis repræſentationibus, licet juſtis & validis, locum relinquere noluerit. Quamvis autem tum memorati Regii Adminiſtri, qui regnum moderantur, rationibus & argumentis nihil apud Eum profici cernentes, præcepto tandem Regis Ipſi anno 1725, die 29. Decembris perſcripſerint, Sereniſſimum Regem, Dominum noſtrum clementiſſimum, ſpem concepiſſe, brevi fore, ut, quæ inter ſe & inclytam Rempublicam Poloniæ ortæ eſſent diſcordiæ, per amicabilem

tandem compoſitionem, & ex animi ſententia ſopirentur, Ipſumque non dubitare, quin tum hoc quoque negotium amice componeretur, & propterea illud ad colloquia, inter Legatos ſuos & inclytæ Reipublicæ Deputatos inſtituenda, remitti, facile paſſurum eſſe: ſimul tamen Illi injuſtitiam facti ipſius ob oculos rurſus poſuerunt, & Sereniſſimo Regi interea omne jus ſalvum & incolume expreſſe reſervarunt. Tantum igitur abeſt, ut ex eo Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis quicquam juris pro ſe elicere poſſit, ut hoc potius luculentum & præclarum ſit teſtimonium ingentis Regii animi moderationis, Eumque in omnibus, inter ſe & inclytam Rempublicam Poloniæ exiſtentibus controverſiis via prius amicabili, quam aliis ſtatim mediis uti malle.

Cum

Cum autem per tantum temporis ſpatium, & tot præterlapſos annos, colloquia hæc Varſavienſia nullum plane effectum habuerint, & Sacræ Regiæ Majeſtati, neque in hoc, neque in aliis juſtiſſimis ſuis deſideriis ſatisfactum ſit, atque interea Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis iſtiusmodi titulum uſurpare perrexerit, inde vero occaſionem arripuerit, ulterius ſemper procedendi, & plura in Sereniſſimi Regis dipotione ſibi ſumendi, quam vi Pactorum poſtulare poteſt; Sereniſſimus Rex Boruſſiæ, Dominus noſter clementiſſimus, neceſſitatem ſibi tandem impoſitam arbitratus, juribus ſuis melius proſpiciendi, Regimini Boruſſiæ interdixit, ullas ab Ipſo accipere literas, vel alias ſcripturas, in quibus iſtiusmodi titulo uſus fuerit. Et quod propitio hoc jure fecerit, memorata do-

 cent

cent acta publica, quibus Episcopi Varmienses interfuere, quos omnes jura Episcopatus sui ignorasse, dicere nefas esset, adeo ut difficile sit comprehendere, quo modo Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis tam confidenter ad Pacta provocare potuerit, cum hæc Ipsi tam aperte adversentur & contradicant.

Putavit quidem pie jam defunctus Dominus Episcopus Cracoviensis, rem non tanti esse ponderis, ut Sacra Regia Majestas, Dominus noster clementissimus, eam urgere necesse habeat. Sed, ut ipse Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis in supra dictis literis suis, illam haud exigui esse momenti, scribit, ita certe neque nobis tam parvi facienda videtur.

Cuilibet enim, æqua judicii lance rem expendenti, in oculos incurrit, quam incon-

congruum ſit, Illuſtrisſimum & Reverendisſimum Dominum Epiſcopum Varmienſem titulum uſurpare ejus provinciæ, quæ, una cum reliqua Borusſia Orientali, Duci Alberto, ejusque ſucceſſoribus, ante duo jam ſecula & amplius, cum omnibus feudis, tam ſpiritualibus, quam ſecularibus, ut expreſſa ſunt tabularum verba, jure quidem clientelari conceſſa eſt, poſtea autem cum ſummo & abſoluto imperio pervenit ad Serenisſimum Electorem Fridericum Wilhelmum, Avum Sereniſſimi Regis noſtri, eam in hunc usque diem eodem jure poſſidentis.

Præterea quotidiana docet experientia, quam periculoſum ſit, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Varmienſi in hoc quicquam ultra Pactorum tenorem indulgere; quippe qui, nimio flagrans zelo & cupiditate, Epiſcopatus

ſui dilatandi fines, totam Sambiam ad diœceſin ſuam referre, & univerſalem in ea ſibi jurisdictionem Epiſcopalem adſerere, omnibus viribus laborat, eique non clericos ſolum, ſed etiam ſeculares, Romano-Catholicam Religionem profitentes, ſubjicere, a Regio autem imperio variis in caſibus abſtrahere, cauſas eorum matrimoniales, ut diverſis exemplis probari poteſt, nonnunquam ad forum ſuum vocare annititur, matrimoniisque inter Evangelicos & Romano-Catholicos contractis, ut ab Evangelicis Paſtoribus rite copulati per Romano-Catholicum clerum denuo copulentur, aliquando poſtulat, & ParochoRomano-CatholicoRegiomontano, quem præſentandi jus Regi vi Pactorum competit, titulos ipſi non competentes tribuere, eumque cum Præpoſitum, tum Decanum Sambienſem appellare non dubitat.

Quæ omnia certe talia ſunt, ut in maximum Sereniſſimi Regis noſtri præjudicium vergant, nec dubitare liceat, quin Sereniſſimus Rex & inclyta Reſpublica Poloniæ illa improbaverint. Quare etiam Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, ea Ipſi nunquam poteſt indulgere, ſed jura ſua potius ſarta tecta conſervare conſtituit, & nos Illuſtriſſimos Dominos Deputatos inclytæ Reipublicæ etiam atque etiam rogamus, velint Illuſtriſſimo & Reverendisſimo Domino Epiſcopo Varmienſi autores eſſe, ut non ſolum ab iſtiusmodi titulo, qui nullatenus Ipſi competit, ſed etiam omnibus aliis infractionibus & læſionibus jurium Regiorum abſtineat, iisque contentus vivat, quæ Ipſi, intuitu Eccleſiæ Romano-Catholicæ Regiomontanæ, tenore Pactorum conceſſa ſunt, Ipſique libere ſemper permittuntur. Varſaviæ die 19. Auguſti 1732.

III,

III.

Scriptum, Illustrissimi & Reverendissimi Domini Episcopi Varmiensis nomine, Serenissimi Regis Borussiæ Ministris Varsaviæ anno 1732. traditum.

PRO MEMORIA, RATIONE TITULI SAMBIENSIS EPISCOPATUS.

JAm primo anno Episcopalis regiminis Celsissimus Princeps, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Dominus Episcopus noster Varmiensis ab Illustrissima Regentia Regiomontana habuit requisitoriales, quatenus a titulo Sambiensis Episcopatus abstineret; verum cum Sua Celsitudo Illustrissima serio Illustrissimæ Regentiæ literis responsorialibus remonstrasset, se nequaquam in derogationem legum Ecclesiasticarum, tum specialiter jurium Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri clementissimi, & Reipublicæ, ejusmodi titulo abstinere posse, cujus Eidem basin

ſin Pacta, Commiſſiones & Declarationes Sereniſſimorum Regum Poloniæ atque Ducum in Pruſſia præbent, obtinuit tunc Celſiſſimus noſter Princeps & Epiſcopus ab Illuſtriſſima Regentia Regiomontana ſub data 29na Decembris anno 1725to reſponſum de eo concludenti tenore:

Verum cum Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, Sibi blandiatur, brevi fore, ut, quæ inter Se & inclytam Rempublicam Poloniæ ortæ ſunt diſſenſiones & diſcordiæ, per amicabilem compoſitionem & ex animi ſententia ſopiantur, nullumque dubium ſit, quin tum ſimul hoc quoque negotium componi amice, talique tranſigi modo potuerit, ut utrique parti in eo acquieſcere liceat, prolixioribus repræſentationibus deductionibusque, quas graves Ipſi eſſe ſentimus, Illuſtriſſimæ atque Reverendiſſimæ Celſitudini veſtræ moleſtiores eſſe nolumus.

Exinde patet, hanc tituli quæſtionem affectam eſſe Statui Reipublicæ. Cum itaque conquieviſſet Illuſtriſſima Regentia ab ulteriori moleſtia & impetitione luculentis perſvaſa rationibus,

nunc iterum recentius datis literis Suæ Celſitudini Illuſtriſſimæ & Reverendisſimæ tituli hujus anſam ſeu litigium renovavit, quatenus nempe Sua Celſitudo ab eodem titulo, utpote uſurpato, prout aſſeritur, abſtineat, niſi literas ſuas & quasvis ſcripturas, tali titulo notatas, absque reſponſo Sibi remiſſas habere velit. Quia vero Sua Celſitudo Illuſtriſſima & Reverendiſſima titulum Sambienſis Epiſcopatus nequaquam Ipſamet ambivit ſeu uſurpavit, ſed potius eundem a digniſſimis Anteceſſoribus transmiſſum habet, ac a Summis Pontificibus & Regibus Poloniæ conceſſum, proinde eo minus eodem abſtinere poteſt in derogationem legum Eccleſiaſticarum, ac ſpecialiter jurium Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, & Reipublicæ. Quod etenim extiterint in Sambia Catholici Epiſco-

piſcopi, quodve titulus eorundem ſubſecuto Pruſſiæ Feudo non evanuerit, aut expunctus ſit, liquet dilucide ex actis anterioris Seculi Commiſſionis Regiomontanæ de anno 1609. hoc contextu:

Dubium enim nemini eſſe poteſt, Religionem ipſam Catholicam in iis oris primitus inſtitutam propagatamque fuiſſe, ipſoque tempore regiminis Ordinis Crucigerorum, nec non ſub erectione & inſtitutione Feudi viguiſſe, bonaque & poſſeſſiones ad uſum earum Eccleſiarum habuisſe, nec alio jure & conditione ipſam primævam inveſtituram ratione Feudi conceſſam fuiſſe, quam iis, quibus Magiſter Ordinis Cruciferique has terras antea tenuerunt, quos integris Epiſcopatibus bonisque Eccleſiaſticis, maxime autem Religione Catholica florente, Provinciam hanc poſſediſſe, verius eſt, quam ut demonſtrari ſit neceſſum. Et quamvis permiſſum fuerat Religionis Auguſtanæ exercitium, non tamen Religionem Catholicam eo ſummotam, ſed ſalva potioreque Catholica reſervata.

& tandem inferius:

Expoſcit denique Sacra Regia Majeſtas, ut in uſus Catholicorum Epiſcoporum, Sambienſis & Pomeſanienſis, certi aliqui reditus proventusve aſſignentur, cum ad functionem illam adminiſtratoriam ſuſtinendam, illique annexa munia obeunda non parvi ſumptus requirantur.

Circa quæ Acta & Decreta Commissionis Regiomontanæ cum Ordines Prussiæ Ducalis in conventu titulum Sambiensis & Pomesaniensis Catholicorum Episcoporum negare minime potuerint, de fructibus seu reditibus iisdem assignandis requisiti, id duntaxat reposuerunt, ut ex responso eorundem in Archivo Heilsbergensi reposito patet, quod non esset ipsorum muneris partiri fructus Principum, sed potius agnoverunt, id esse Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ, tunc supremi Domini Prussiæ, dispersis cæteroquin Episcopalibus reditibus in alios usus. Deducitur id etiam ex literis reversalibus Ordinum Ducalis Prussiæ de anno 1612. 21. Maji, quibus Acta & Decreta Commissionis hujus Regiomontanæ in omnibus eorum punctis, clausulis, capitibus, &c. ratificarunt, roborarunt, grata

rata-

rataque ſemper habere ſpoponderunt, nec quidquam reclamarunt ratione tituli Sambienſis & Pomeſanienſis Catholicorum Epiſcoporum. Deinde pathetice adhuc id ipſum cuique conſtabit ex reſponſo Sacræ Regiæ Majeſtatis, Generoſis & Nobilibus Nunciis tam Principis Electoris in Pruſſia Ducis, quam Conſiliariorum Terreſtrium ejusdem Ducatus Pruſſiæ Varſaviæ dato die 10ma Julii anno Domini 1616to talibus verbis:

> Quandoquidem Privilegio Lublinenſi aliisque tam Dominorum Deceſſorum ſuorum, quam Suæ Majeſtatis Reſcriptis, diplomatibus & noviſſimis Decretis, Pactis & potiſſimum Receſſu anni 1612^{mi} cautum ſit, præter Catholicæ Romanæ & Auguſtanæ Confeſſionis, ejusque Apologiæ Religionis uſum, reliquas omnes ſectas damnatas & interdictas eſſe, firmiter iis Pactis Decretisque ſtandum eſſe decernit. Viſitationes Eccleſiaſticas formula Regiminis, teſtamento Illuſtriſſimi Domini Alberti ſenioris, in Pruſſia Ducis, & receſſibus inſtitutas, juxta veteres inſtructiones libello, qui Corpus Doctrinæ Pruthenicum inſcribitur, conformes expediri debere, Sacra Regia Majeſtas declarat. Articulis Smalcaldicis convitiisque

& scommatibus Religionem Catholicam Romanam (quæ sola ab initio in ea provincia viguit, & quam itidem nunc cuivis amplectendi liberrima potestas permittitur) ejusque Antistites proscindentibus, expunctis & exclusis, salvo per omnia usu Religionis Catholicæ, cui, eamque profitentibus, templis ac locis sacris illique dicatis vel deinceps dicandis, nullum hac visitatione præjudicium fieri debet.

& inferius quoad Visitationes ejusmodi:

Ita tamen, ne quid in fidem Catholicam Romanam, & eos, qui eam profitentur, juris ac potestatis sibi usurpent, sed intra limites Augustanæ Confessionis & supratacti Corporis Doctrinæ & secundum eam Religionem profitentium sese contineant, salva item per omnia jurisdictione Episcoporum Catholicæ Romanæ Ecclesiæ juxta præscriptum Pactorum.

Nec refert, quod in Feudo Serenissimo Johanni Sigismundo, Marchioni Brandenburgensi, anno 1611. collato, Ecclesia Regiomontana noviter sumptibus ejusdem erigenda inscribitur Episcopo Varmiensi, uti viciniori, siquidem tunc propter ademptas & occupatas Ecclesias Catholicas injunctum ex Pacto fuerit Serenissimo Marchioni

ni novam extruere; compertum enim eſt, quod certe non alia ratione quam vicinitatis cura ſæcularizati, ut allegatur, Epiſcopatus Sambienſis in temporalibus, quoad ſpiritualia, non ſolum de jure Canonico, verum peculiaribus Pactorum, Actorum & Decretorum, Reſponſorum ac Declarationum Regiarum monimentis autorizata acceſſit jurisdictioni Epiſcoporum Varmienſium jam ab inde, cum pax perpetua inter Sigismundum I^{mum} & Albertum Ducem anno 1525. concluſa fuerit, etiamſi poſthac non fuiſſet erecta Eccleſia Regiomontana. Eo quoque non relevante, quod Pruſſia Orientalis Sereniſſimo Joanni Sigismundo vel cuipiam alteri Duci cum Feudis, ut allegatur, ſpiritualibus & temporalibus conceſſa ſit, quo nomine etiam Sambia ſimul cenſenda venit, utpote pariter cum eadem Pruſſia tradita; perin-

perinde enim nequaquam intelligi poteſt, ſublatus titulus Epiſcopalis,& jus Religionis Catholicæ; conſtat enim per Pacta inter Caſimirum Regem Poloniæ & Ludovicum de Erlichshauſen, Magiſtrum Ordinis Theutonici, anno 1466. inita, jam tunc Epiſcopatum & Eccleſiam Sambienſem nominatim cum Caſtris, Civitatibus, Oppidis & Vaſallis Ordini Theutonico (in cujus jura hac in parte Duces in Pruſſia ſucceſſerunt) perpetuo ditioni ejusdem inſcriptam eſſe, neque tamen propterea deſiit titulus ibidem ac jus Religionis Catholicæ; per ſubſequentia vero Pacta ſive Diplomata adhuc minus demonſtrari poterit, ſæcularizatum eſſe titulum ejusmodi cum jurisdictione Epiſcopali, quin potius eundem præallegatis Pactis & Reſcriptis, Commiſſionibus & cautionibus Ducum in Pruſſia magis aſſecurari & roborari

rari

rari compertum eſt. Hæc itaque præextenſa monimenta enunciantia curam commiſſi gregis vicini quoad functionem adminiſtratoriam Epiſcopalem in Sambia & Pomeſania expreſſe titulum, de quo res eſt, nominant & radicitus firmant, utpote reditibus providendum, ac nusquam abrogatum, atque iisdem authoritatibus antiquis & recentioribus, per Pacta iterum Velavienſia intactis & integris conſervatis atque confirmatis, manutentum, ac quemadmodum à Summis Pontificibus & Sereniſſimis Poloniæ Regibus datur, à Celſiſſimis Episcopis Varmienſibus continuatum, Eo etenim uſi ſunt Epiſcopi & Principes Varmienſes antiquitus, ut patet ex variis Diplomatibus, præſertim in re Eccleſiaſtica, nec non hoc Sæculo ſignanter in retraditione Elbingæ. Quare huic titulo renunciare nequit Sua Celſitudo Illuſtriſſima & Reverendiſſima, cujus tituli

E quæ-

quæſtio, prout agnoverunt Illuſtriſſimi Domini Regentes, Statui Reipublicæ eſt affecta, & ob ſpem concordiæ cum Sereniſſima Republica Regni Poloniæ juxta literas Illuſtriſſimæ Regentiæ de anno 1725. ut ſupra tantisper ſopita.

IV.

Replicatio Illuſtrisſimi ac Reverendisſimi Domini Epiſcopi Varmienſis ad ſcripturam Borusſicam de die 19. Auguſti 1732.

TEmpore Conferentiarum ante-Comitialium cum Miniſtris externarum Potentiarum, hoc anno 1732do inſinuata fuit ſcriptura Celſiſſimo Noſtro Principi, Epiſcopo Varmienſi, per Celſiſſimum Principem Regni Primatem ſub die 19na Auguſti ejusdem anni, Suæ Celſitudini Primatiali, ab Illuſtriſſimo Domino Mareſchal-

ſchalco de Biberſtein, Miniſtro Plenipotentiario, ſimul ac Magnifico Hoffmann, Reſidente Plenipotentiario Berolinenſis Aulæ, porrecta, qua titulus Sambienſis Epiſcopatus terminis acribus, honoremque Suæ Celſitudinis propemodum & immerito perſtringentibus, impetitur, quaſi Sua Celſitudo eundem titulum uſurpaſſet, quem à Digniſſimis Anteceſſoribus transmiſſum habet, prout id fuſius patet ex præventiva informatione, pro memoria ratione tituli Sambienſis Epiſcopatus ſeorſive deſcripta. Profecto Illuſtriſſimum Regimen Regiomontanum literas Suæ Celſitudinis Illuſtriſſimæ, eodem titulo Sambienſi notatas, Jurisdictionis ſuæ Epiſcopalis, in Sambia hactenus Eidem competentis, defenſivas, non nihil à debita agendi methodo & Viciniæ juribus deflectendo inconvenienter remiſit, tanto

magis, cum in propatulo ſit, Illuſtriſſimum Regimen Regiomontanum, literis ſuis, ſub die 29na Decembris anni 1725. agnoviſſe, quæſtionem tituli, ob ſpem concordiæ cum Republica, Statui Regni Poloniæ eſſe affectam, prætereaque declaraſſe, ſe amplius eapropter non fore moleſtum: Nunc vero aperte tentat, titulum Sambienſem impugnare, quaſi ſpem aliquando ſubſecuturæ concordiæ neceſſe habeat amputare, ac ſi his annis duntaxat opportunum foret tollere titulum Sambienſis Epiſcopatus, nullis hactenus Pactorum tabulis expunctum, quin potius publicis munimentis ad volumen legum Regni Poloniæ pridem relatis, roboratum & eousque à Sua Celſitudine Illuſtriſſima & Reverendiſſima poſſeſſum & continuatum, cui, quod Sua Celſitudo renunciare nequeat, ſuperfluum eſt remonſtrare,

ſtrare, tanto minus, cum pro functione adminiſtratoria Epiſcopali Sambienſi non abs re prætendebantur reditus aſſignari. Zelum ſuum Paſtoralem duntaxat, quantum muneris & obligationis eſt, Sua Celſitudo Illuſtriſſima Sambienſi Catholicæ plebi impendit, nec quidquam incompetens deſiderat, dum jura ſua juxta ſacra tuetur fœdera, quorum vigore Religio, cum jurisdictione Epiſcopali tantopere in Pruſſia præcuſtodita eſt, ac eſſe debet immunis & prorſus individua, ita, ut, qui ibi integro nomine Romano-Catholicæ Religionis gaudent, neceſſe habeant audire Eccleſiam & Apoſtolicis obtemperare Canonibus. Nonne itaque, pro debito ſuo Paſtorali egit Sua Celſitudo, quando ratione matrimonii, inter Joannem Jacobum Wawrowski, Nobilem Præfecturæ Ortelsburgenſis, & Euphemiam
 ab

ab Habichtin, Catholicam, in 2do gradu ſibi invicem conjunctos, poſt raptum & coactionem, prout illa aſſeveranter expoſuit, ac propterea à Sacra Communione Altaris, quod poſtea marito cohabitaverit, abſtinere debuit, contracti, ad rehabilitandum matrimonium, conſcientiamque Euphemiæ tranquilliſandam, aliis etiam motivis intervenientibus, Apoſtolicam diſpenſationem impetraverit, cum ſecus Euphemia, à fide Catholica nequaquam volens deficere, ita diſpenſari neceſſe habuerit, ut in matrimonio, renovato privatim conſenſu, permanere potuerit. Quod inſuper in eadem Scriptura de die 19na Auguſti innuitur, quaſi Celſiſſimus olim Leszcinius Sambienſem titulum in ſubſcriptione Pactorum Velavienſium deleverit, hoc ipſum, ut talis qualis penes Authorem fides

eſt,

eſt, poſſeſſionem tituli affirmat, quo, præſertim in re Eccleſiaſtica, utuntur Epiſcopi Varmienſes. Ac de reliquo Sua Celſitudo ſe refert ad ſeorſivam informationem prætactam, pro memoria ratione tituli Sambienſis Epiſcopatus jam præventive conſcriptam, confidens fore, ut ob ſpem concordiæ, ratione differentiarum, Aulam Berolinenſem & Rempublicam intercedentium, Sua Celſitudo Illuſtriſſima Epiſcopus noſter Varmienſis in poſſeſſione ejusdem tituli Sambienſis, prout Regiam enunciant declarationem literæ Illuſtriſſimi Regiminis Regiomontani, de anno 1725. die 19na Decembris, non turbetur aut moleſtias amplius ſuſtineat.

V.

Ulterior responsio Serenissimi Regis Borussiæ ad duo ultima scripta Illustrissimi & Reverendissimi Domini Episcopi Varmiensis, jam in principio præsentis anni 1733 Regiis Varsaviæ commorantibus Ministris transmissa, ut Serenissimo Regi Augusto II, tunc regnanti, eam exhiberent. Sed improviso hujus morbo & mox consecuta morte factum est, ut mandatum exsequi non potuerint, sed rem usque ad novi Regis electionem distulerint. Cum deinde vero, in partes divisa Republica, tam graves de duplici electione ortæ sint contentiones, & verendum, ne Illustrissimus atque Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis ex longiori mora occasionem arripiat, sibi persuadendi, scripta Ipsius quicquam continere, ad quod responderi nequeat; Serenissimus Rex Borussiæ ulteriorem hanc responsionem, prout antea Varsaviam transmissa fuit, & defuncto Regi tradi debuit, una cum priore typis jam exscribi, & in publicum edi jussit, ut quilibet judicare possit, quanta Ipse justitia postulet, ut Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis iniqua istius tituli usurpatione abstineat.

TAmetsi in duobus scriptis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Var-

Varmienſis, tempore ultimorum comitiorum, anno præterito celebratorum, Sacræ Regiæ Majeſtatis Boruſſiæ Miniſtris Varſaviæ traditis, nihil omiſſum eſt, quod ad titulum Sambienſis Epiſcopi Ipſi vindicandum conducere quodammodo videbatur, omnia tamen ita ſunt comparata, ut Ipſi nullo plane modo prodeſſe poſſint.

Quod ut tanto luculentius, & qua poteſt brevitate, demonſtretur, monendum ante omnia videtur, libertatem Religionis Romano-Catholicæ & Epiſcopalem jurisdictionem, titulumque, ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Varmienſi affectatum, non eſſe res inſeparabiles & individuas, ut in ſcriptis Epiſcopalibus aſſeritur, ſed diverſas & omnino diſtinguendas, utpote quarum unam ſine altera optime in regione aliqua exiſtere poſſe, Belgii fœderati, & tot alia-

rum provinciarum exempla testantur, in quibus quidem Romano-Catholicis exercitium ejusdem Religionis permittitur, nullatenus tamen Romano-Catholicis Episcopis conceditur, jurisdictionem in iis sibi arrogare Episcopalem, aut inde specialem sibi tribuere titulum.

Pari etiam ratione in Borussia Orientali Episcopis Romano-Catholicis istiusmodi jurisdictio Episcopalis, & tituli quidem negantur, qui illis nullatenus competunt; eo ipso tamen non tollitur libertas conscientiarum & Religionis Romano-Catholicæ, sed hanc profiteri unicuique liberum manet, & omnia, quæ hac de Religione in Pactis annorum 1611, & 1657. statuta sunt, in pleno suo vigore relinquuntur. Immo ipsi Romano-Catholici, si, quod res est, ingenue fateri velint, affirmare coguntur, majore se frui libertate

& licentia, quam jure & vi pactorum poſcere queant. Et optandum certe eſſet, ut in Varmia eodem modo cum Evangelicis ageretur, quibus ultra annum & diem in ea commorari non licet, ſed, ſi tum à Religione Evangelica deficere nolint, ſolum vertere injungitur.

Quibus ſuppoſitis, ea omnia, quæ de libertate Religionis Romano-Catholicæ toties in ſcriptis Epiſcopalibus repetuntur, intacta in poſterum relinqui poterunt, & ulteriori reſponſione non indigebunt.

Deinde etiam Sacra Regia Majeſtas Boruſſiæ haud diffitetur, antiquitus Romano-Catholicos Epiſcopos in Sambia & Pomeſania fuiſſe, ſed potius hoc in deductione, quam anno ſuperiore per Miniſtros ſuos exhiberi curavit, indicatum, ſimul vero oſtenſum quoque eſt, eos ab

Episcopis Varmiensibus & Culmensibus, tam ante, quam post reformationem distinctos semper fuisse & separatos, illorumque jurisdictionem & titulos his nunquam collatos esse.

Et hoc est, quod manifeste comprobant acta publica, in priori deductione allegata. Ex quibus præcipue, tum recessus anni 1566. & anni 1567, quibus decretum fuit, duos iterum Episcopos Evangelicos, Sambiensem & Pomesaniensem, instituendos esse, tum testamentum Ducis Alberti, notari observarique merentur, cum hoc à Rege Poloniæ Sigismundo Augusto anno 1568, illi autem ab ipsius & Reipublicæ Commissariis die 5ta Octobris 1566, & 14ta Julii 1567. approbati confirmatique sint.

De sequenti autem tempore idem testantur Scriptores historici, & inter eos

ipſi Varmienſes. Nam, ut ipſe Johannes Leo, Decanus Canonicus Guttſtadienſis, in Hiſtoria Boruſſiæ Epiſcopos Evangelicos, qui in Pomeſania longe poſt reformationem ſibi invicem ſucceſſerunt, recenſet, & ultimum eorum, Wigandum, anno 1587. demum e vita deceſſiſſe, docet, ita de Georgio à Pohlenz, Epiſcopo Sambienſi, qui primus Religionem amplexus eſt Evangelicam, omnes tradunt, ipſum Epiſcopatus ſui regimen politicum quidem Duci Alberto conceſſiſſe, ſui muneris eſſe reputantem, Evangelium docere, non vero politica imperia & dominatus adminiſtrare, ut idem Leo memorat, nihilominus tamen Epiſcopalem dignitatem, titulum & jurisdictionem eo modo, qui Evangelicorum doctrinæ conformis eſt, usque ad mortem, quam demum anno 1550, & ſic longe poſt inſtaurationem Religionis Evangelicæ, obiit,

conſervaſſe, & poſthac varios alios in hoc officio habuiſſe ſucceſſores, tum Epiſcopos, tum Præſides vocatos, donec Tilemannus Heshuſius, qui ultimus fuit Epiſcopus Sambienſis, anno 1577. ab officio variis de cauſis remotus fuerit.

Ex quo tempore Pomeſanienſis Epiſcopus Wigandus Sambienſem quoque Epiſcopatum adminiſtravit. Cum is autem poſtea naturæ quoque debitum redderet, porro quidem non ſunt conſtituti Epiſcopi, ſed eorum loco duo Conſiſtoria, Sambienſe & Pomeſanienſe, ordinata, quæ in hunc usque diem ea expediunt, quæ muneris olim fuerunt Epiſcoporum.

Nihilominus tamen Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis in memoratis ſcripturis contrariam tueri ſententiam, & Epiſcopatum Sambienſem ſtatim poſt reformationem,

& tempore Pactorum anni 1525. cum Varmiensi conjunctum, Episcopisque Varmiensibus tunc jurisdictionem & titulum Sambiensis Episcopi à Pontifice Romano & Regibus Poloniæ concessum esse, variis argumentis probare annititur.

Sed, quemadmodum nulla plane Pontificis Romani in Borussia Orientali est auctoritas, & nimia audacia & arrogantia esset, si is ea in provincia talia sibi sumpsisset, quæ ipsi ne eo quidem tempore, quo omnes ejus incolæ Religionem Romano-Catholicam profitebantur, & libera Episcoporum electio ad Ecclesias pertinebat, in illa permissa fuerunt, & quæ ipse neque adhuc aliis in ditionibus & regnis, quæ Romano-Catholicis parent Imperantibus, sine horum consensu facere potest; ita quilibet facile perspicit, hæc nullum valorem, nullumque

habere posse effectum, ut operam perderet, si quis iis studiosius excutiendis immoraturus esset.

Quod ad ea autem spectat, quæ de Regibus Poloniæ prolata sunt, paulo accuratius examinanda & expendenda erunt documenta, quæ in scriptis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi pro stabilienda Ipsius sententia adducta reperiuntur.

Et, ut initium fiat à pace perpetua, anno 1525. inter Regem Sigismundum I. & Ducem Albertum confecta, per quam universa Borussia Orientalis, cum omnibus bonis ecclesiasticis, Duci Alberto in feudum hæreditarium concessa est, & cui Episcopus Varmiensis Mauritius interfuit, in hac nullum plane vestigium invenitur, Episcopis Varmiensibus & Culmensibus istiusmodi titulum, aut jurisdictionem in

Sam-

Sambia et Pomeſania conceſſam fuiſſe. Sed, ut in ejus pacis tabulis prædictus Epiſcopus Mauritius non aliter, quam Varmienſis prædicatur, & inſtrumentum, quo Ordines Boruſſiæ Orientalis pacem hanc perpetuam eodem anno, die nona Aprilis, conſenſu ſuo corroborarunt, Epiſcopus Pomeſanienſis Evangelico-Lutheranus Erhardus ſubſcripſit; ita res ipſa docet, & literæ, quas Rex Poloniæ Sigismundus I. Johanni Dantiſco, ſuo apud Romanum Pontificem Oratori, tunc temporis de hac pacificatione Boruſſiæ perſcripſit, & Priluſius volumini legum Poloniæ inſeruit, adhuc clarius teſtantur, neque hac de re, neque de tota Religione tum cogitatum, multo minus tractatum aut ſtatutum quid fuiſſe, tum quod Rex & Reſpublica Poloniæ e re ſua id non judicaverint, tum quod etiam Ordinis

inſtitutores non fuerint, tum vero, quod fere in tota ditione Ordinis prorſus de tota Religione Romano-Catholica actum fuerit. Quodſi autem jam tum in tota ditione Ordinis de tota Religione Romano-Catholica actum fuit, quid opus fuiſſet Epiſcopis Catholicis in Sambia & Pomeſania?

Et quis ſibi unquam perſuaderet, iis tempeſtatibus, cum tota Sambia & Pomeſania, una cum Epiſcopis ſuis, Religionem Evangelicam amplecterentur, Epiſcopos Varmienſes & Culmenſes in alienis provinciis novam acquirere jurisdictionem potuiſſe, cum Varmienſes illam iis in tractibus, qui olim ad propriam ipſorum diœceſin pertinuerunt, conſervare nequiviſſe, ipſe Treterus, Cuſtos Canonicus Varmienſis, memoret, qui in libro, quem de Epiſcopatu & Epiſcopis Eccleſiæ Varmienſis

contextum poſteritati reliquit, eo loco, ubi de initiis Lutheranismi mentionem facit, claris verbis tradit, Epiſcopos Varmienſes jurisdictionem, quam antea in ditionibus Ordinis habuerint, tempore Epiſcopi Fabiani de Luſianis, qui anno 1523, & ſic ante infeudationem & ſupra memoratam pacem perpetuam mortuus eſt, amiſiſſe, & hoc Fabiano illi tribuendum eſſe exiſtimat, quod conſcientiis dominari nefas duxerit, & reformationi non reſtiterit, ſed de beato Luthero tam bonam opinionem foverit, ut, referente eodem Tretero, & Leone, pacificum ipſi animum exprobrantibus, præclarum hoc, & viro non indocto, ut Plaſtwig, Decanus Varmienſis, eum appellat, dignum reſponſum reddere non dubitaverit:

Lutherus est doctus Monachus & habet suas opiniones in scripturis fundatas, si quis tantum habet animi, congrediatur & certet cum illo.

Quando autem in dicta pace perpetua hæc reperiuntur:

Si vero Dux, vel Nobiles sui, Curatos, vel alios in ecclesiastica beneficia collocare vellent, qui hominibus christiane providerent, eos Episcopus juxta antiquam consuetudinem instituere ac investire debet.

Item si possent Domini Pontifices constanter docere, quod Ecclesiastici, in terris Domini Ducis commorantes, secus quam Christiani, ac contra Ordinationem universalis sanctæ Ecclesiæ Christianæ se gererent, debet Dominus Dux una cum Dominis Episcopis juvare, ut tales debita castigatione emendentur;

ea verba nullam Varmiensis & Culmensis Episcoporum expressam faciunt mentionem, multo minus his jus Episcopale, titulum & jurisdictionem in Sambia vel Pomesa-

mesania tribuunt; id quod pactorum tenori, & verbis antecedentibus:

Item quod ad Ecclesiasticorum bona & jurisdictionem attinet, debet Dux Prussiæ ad requisitionem Ecclesiasticorum unicuique justitiam, ut christianum, æquum & justum est, administrare.

contrarium fuisset; sed id unice innuunt, si Dux forte, Ipsiusque Nobiles iis in partibus, quæ antea ad diœcesin Varmiensem pertinuerant, Curatos Romano-Catholicos alicubi instituere necessarium ducerent, Episcopum Varmiensem, ab illis requisitum, eos inaugurare & consecrare debere, quod vocabulum Schützius in Chronico suo idiomate germanico reddidit schuldig seyn, Ducem vero, si Episcopi, Ecclesiasticos haud christiane agere, dilucide probare possent, una cum Episcopis operam navare, ut castigatione in meliorem viam reducerentur.

 Ve-

Verum cum ea tempeſtate omnes Religionem Evangelicam jam amplexi eſſent, ut, ſecundum Regis literas, ſupra memoratas, de tota Religione Romano-Catholica jam actum fuerit, quo modo ſe occaſio offerre potuit, ut Dux, vel Nobiles ipſius Curatos Epiſcopo præſentarent, & eos ab hoc conſecrari poſtularent?

Quam ob rem cum deinde idem Epiſcopus Varmienſis Mauritius, qui ſolus ſine dubio anſam dedit, ut hic articulus illi inſtrumento pacis inſertus fuerit, ægerrime ferens, totam regionem à Religione Romano-Catholica ad Evangelicam feciſſe transitionem, & ubique Miniſtros Evangelicos Eccleſiis præfici, per miſſos anno 1526. ad Ducem Albertum Legatos, Eccleſiam ſuam, ut putabat, à tot apoſtatis per quatuor jam annos Ducis permiſſione convelli, & chriſtiana officia, baptismumque

contemni, quereretur, atque, ad ſupradictum articulum pacis provocans, ab eo expeteret, ut eligeret viros, qui ſubesſent Eccleſiæ Romanæ, ſibique præſentaret, quos examinaret in conſcientia, & num legitime ordinati eſſent, Dux ex conſilio Georgii, Sambienſis, & Gerardi, Pomeſanienſis, Epiſcoporum Evangelicorum, Legatis his reſpondit, contra veritatem ſibi ſubditos argui, quaſi contra Dei honorem ſtatutaque chriſtiana agerent, ſacramenta & domos orationis contemnerent, & illos Epiſcopo ſuo renunciare juſſit, ſcire ſe modum oviculas ſuas coram Deo defendendi & tuendi, quarum omnium vox eſſet juxta Evangelium: *nolumus, hunc regnare ſuper nos*, ſe vero nolle amplius alere Romano-Catholicos Sacerdotes; quoad allegatum autem articulum, illum quidem ſe ita habere, ſed in eo ipſo cau-

cautum esse, Episcopum Mauritium docere debere ex divinis literis, quod Parochi juxta Lutheranam declarationem, quam Dux permisisset, male agerent; id quod tamen Episcopus Mauritius suscipere noluit; prout hæc omnia iisdem fere verbis Johannes Leo, Decanus Canonicus Guttstadiensis, in libro suo historico, anno 1725. Brunsbergæ edito, recenset, quamvis ea, quæ nimis dura videri possent, consulto hic omissa sint.

Quod deinde ad acta & decreta Commissionis Regiomontanæ de anno 1609, in quibus Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis maximum suum fundamentum ponere videtur, & ex iis allegata verba attinet, hæc nihil aliud, quam nudam & simplicem propositionem, à Commissariis Polonicis Electori Johanni Sigismundo, Ordinibusque

que factam, ab his vero plane rejectam, continent, propterea que Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Varmiensi nullum præstare possunt auxilium.

Quod ut tanto clarius elucescat, operæ pretium erit, rem paulo altius repetere, & ea, quæ anno 1605. acta sunt, cum jam dictis actis & decretis Commissionis Regiomontanæ, in quibus ista allegantur, conjungere.

Postquam nimirum Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgicus, ægri Principis, Ducis Alberti Friderici, Curator, vitam cum morte commutaverat, Elector Brandenburgicus Joachimus Fridericus, Electoris Joachimi secundi, qui una cum dicto Duce Alberto Friderico, anno 1569. à Rege Sigismundo Augusto simultanee investitus erat, Nepos, tanquam eventualis ægri Principis successor,

curam hanc & adminiſtrationem Boruſſiæ Orientalis ad ſe pertinere contendebat, &, ſibi utramque permitti, merito poſtulabat.

Rex quoque & Reſpublica Poloniæ juſtitiam ejus deſiderii optime agnoſcebant, adeo ut aliqui Dominorum Senatorum, cum de eo ſuffragia ferrent, illud nullo modo recuſari poſſe, ſed annuendum omnino eſſe, æquiſſime cenſerent.

Nihilominus tamen erant alii, qui opinabantur, cum Ducatus ſervari Reipublicæ non poſſet, ad minimum non, niſi durioribus conditionibus, indulgendum concedendumque illum eſſe Domui Brandenburgicæ. Inprimis autem varia in favorem Romano-Catholicæ Religionis obtinere nitebantur, & memorabilis præcipue eſt ſententia Domini Palatini Poſnanienſis, qui ſolus, hanc etiam conditio-

nem proponendam esse, suadebat, ut duo Episcopatus Ecclesiæ Romano-Catholicæ restituerentur; id quod manifeste indicat, hos tunc temporis apud Romano-Catholicam Ecclesiam non fuisse.

Legati Electoris, ejus rei causa in Poloniam missi, iniquas & intolerabiles expeti conditiones, querebantur, libertatem tamen conscientiarum cuivis salvam, & Romano-Catholicam Religionem profiteri, liberum fore, spondebant. Cum vero Serenissimi Regis Poloniæ & Amplissimi Senatus nomine alia quædam postularentur, & inter ea, ut ad minimum Regiomonti unum atque alterum templum in Religionis Romano-Catholicæ usus, cum justis reditibus assignaretur, non solum propter eos, qui ex Ducatu ejus essent Religionis, sed etiam, qui ex Regno Poloniæ, Magnoque Ducatu Lithua-

niæ Romano-Catholicæ Religioni addicti, negotiorum ſuorum cauſa frequenter eo venire ſolerent, Legati Electorales reſpondebant, maximam partem ad Provinciales iſta pertinere, à quibus ſi quid amplius per Commiſſarios obtinere ſe poſſe, Rex Poloniæ crederet, cum iis ut de eo ageret, per Electorem licere. Qua tum reſponſione Legatorum Electoralium Rex Poloniæ, & Senatus contenti fuerunt, ſibique, de illis cum Provincialibus per Commiſſarios agere, reſervarunt; prout hoc ex ipſo reſponſo Regio, die 11. Menſis Martii, anno 1605 Electoris Joachimi Friderici Legatis dato, apparet.

Cum itaque Rex Sigismundus III. anno 1609. certos quosdam Delegatos, ſive Commiſſarios, ut vulgo nominantur, Regiomontum mittere conſtituiſſet, qui

cum

cum Electore Johanne Sigismundo, eo tempore post fata Patris curam ægri Principis gerente, Borussiamque Orientalem administrante, & Ordinibus, tum de hoc, tum de aliis negotiis in indicto conventu Provinciali agerent, Ordines autem jam antea aliquoties efflagitassent, ut Episcopi Evangelici denuo in Sambia & Pomesania constituerentur, & hoc in isto conventu se impetraturos esse sperarent, memoratu dignum est mandatum, quo dicti Commissarii die 2. Maji 1609. à Rege Poloniæ instruebantur, & quod eo tendebat, ut in genere, Religionis in Borussia Orientali quam maxime propagandæ causa, non solum id requirerent, quod extra omnem controversiam esset, aut de quo tractatibus anni 1605. jam convenisset, sed in primis quidem, ne Episcopali nomine & authoritate Ministros, ut jam

jam aliquoties tentassent, constituerent, sed, mutata ratione rei ecclesiasticæ, Romano-Catholicis Episcopis ad Sambiensium & Pomesaniensium Episcoporum functionem administrandam certi reditus, proventusque assignarentur; si tamen obtinere nihil amplius possent, quam id, quod ante Responsis, tractatibusque supra memoratis constitutum esset, Religionem potius suspenderent, atque in integro relinquerent, quam vel motuum aliquorum causam præberent, vel aliorum negotiorum progressui gravioris impedimenti aliquid adferrent.

Quæ instructio manifesto est indicio, ipsum Regem Poloniæ satis convictum fuisse, ea, quæ super hac re Commissarios suos requirere jusserat, Pactis nullatenus esse consentanea, neque in iis ullo modo fundata, ut vel minima juris specie talia poscere valeret.

Quare etiam mirandum non eſt, quod Commiſſariis his, Electori & Ordinibus Boruſſiæ ea in conventu Regiomontano proponentibus, Elector reſponderit, annuere ſe quidem, quod de religionis Catholicæ Romanæ aſſeclis, eorum ſecuritate, libertateque conſcientiarum, initio poſtulatum fuerit; quoad templum autem, quod Regiomonti ipſis aperiri petiiſſent, ſuffragari ſe ſententiæ ſupremorum Conſiliariorum & Ordinum, illud juſtis ex cauſis denegantium, cum tot exempla aliarum regionum iſtiusmodi in cauſa religionis mutationem, magnas turbas & diſſenſiones ciere ſolitam, diſſuaderent; & de illis, quæ reſpectu Epiſcoporum Romano-Catholicorum poſtularentur, in Pactis anni 1605. nullam factam eſſe mentionem; eaque contra primam infeudationem è diametro militare, ac ſic inique à ſe poſtulari,

ri, nec ſe illa concedere poſſe; è contrario autem Provinciales urgere & efflagitare, ut ex inſtituto Alberti Ducis, & ſuperioris temporis conſuetudine Epiſcopi Evangelici iterum eligerentur.

Quod autem ad ſupremos Conſiliarios & Barones ex Collegio Conſiliariorum provincialium, & Ordinem civicum, ſpectat, ut validas rationes allegarunt, ob quas deſideratum templum concedi non poſſet, ita illorum reſponſio ad ea, quæ de Epiſcopis Romano-Catholicis propoſita erant, longe alia fuit, quam illa in ſcripto Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Varmienſis excerpta legitur, & in hoc conſtitit:

plane ſe ignorare, qua ratione tale quid à ſe poſtuletur, præſertim cum pactis perpetuis nihil de eo cautum inveniatur, neque ſui officii ſit, de reditibus Principum diſponere, multo minus jura illorum uſurpare.

Et

Et tantum abeſt, ut hoc ipſo agnoverint, quemadmodum in ſcriptura Epiſcopali dicitur, quaſi id fuiſſet muneris Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniæ, tunc ſupremi Domini, ut potius totam propoſitionem, tanquam iniquam, improbaverint & ſimpliciter rejecerint, eamque Pactis antiquis contrariam eſſe affirmaverint; prout etiam cuilibet ex jure feudali cognitum eſt, nulli Seniori de proventibus Beneficiarii ſine ejus conſenſu & voluntate tam libere diſponendi facultatem competere.

Ordo equeſtris vero in ſpecie & ſeparatim reſpondit: de reditibus Epiſcopalibus in formula Regiminis & teſtamento Ducis Alberti diſpoſitionem factam eſſe, nimirum ut ii in uſum Miniſterii Evangelici provinciæ conferri deberent.

Cum itaque Commiſſarii, quæ repetitis vicibus deſideraverant, obtinere non

possent, sed repulsam semper ferrent, Regi Poloniæ, Grodnæ tum commoranti, die 6ta Junii, ejusdem anni, renunciabant, nihil se hac in re apud Electorem & Ordines effecisse, & merentur certe ipsa verba hic adscribi, quibus in relatione sua utebantur, & quæ sequentis sunt tenoris:

Quoad duos Episcopatus, quos concedi, juxta instructionem una cum provisionibus, voluimus, regesserunt nobis ex opposito, & postulaverunt duos suos Episcopos, allegantes Commissionem anni 1567. Nos omnino interdicebamus nomine Regiæ Majestatis vestræ, ne eos investire præsumerent, sed videmus Serenissimum Electorem ipsis in eo quoque suffragari. Si videtur Regiæ Majestati vestræ, ut in hisce rebus plura attentemus, morem geremus Regiæ Majestati vestræ, licet clare videamus, nos nihil effecturos.

Et quamvis post acceptam à Rege responsionem eadem denuo contenderent, Elector tamen et Ordines illa continuo denegabant, & Ordo equestris speciatim vehemen-

hementer poſtulabat, ne quicquam hoc in paſſu contra privilegia ſtatuerent, ſed cauſam Epiſcopalem, ut legibus, Regiisque privilegiis conformem, in ſuo ſtatu relinquerent.

Quare Commiſſarii Polonici in actis & decretis, poſtea die 13. Julii 1609. publicatis, nihil hac de re decreverunt, prout etiam nihil decernere poterant, ſed omnia ad Regem receperunt, Eique ſe hæc expoſituros eſſe, declararunt, Rex vero ipſe deinde nihil quoque ſtatuit, quemadmodum in ſupra memorata inſtructione agnoverat, nihil ſe ſine Electoris & Ordinum conſenſu, qui pro illo rerum ſtatu requirebatur, ſtatuere poſſe.

Quæ cum ita ſe habeant, cujuslibet, qui vere & incorrupte judicare poteſt, judicio relinquitur, qua ratione, & quo modo ex his omnibus talia elici queant,

quæ ex iſtis Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis in prædictis ſcripturis deducere & evincere allaborat. Quæ ſi Commiſſariis in mentem ſaltem veniſſent, quis crederet, Dominum Epiſcopum Varmienſem, Simonem Rudnicki, qui primus eorum fuit, in ſubſcriptione horum actorum & decretorum titulo Sambienſis Epiſcopi uſurum non fuiſſe, quod tamen factum non eſſe, ipſæ tabulæ demonſtrant.

Quodſi autem per acta hæc & decreta Commiſſionis Regiomontanæ nihil hac de re decretum & ſtatutum eſt, nihilque à Rege Poloniæ, contradicentibus & refragantibus Electore & Ordinibus, ſtatui potuit, ſponte ex eo fluit, per literas etiam reverſales, Polonicis Commiſſariis ab Ordinibus Boruſſiæ die 21. Maji 1612. traditas, nihil pariter reſpectu ejus negotii robora-

boratum confirmatumque esse; ut jam silentio prætereatur, tunc temporis de hoc negotio nullam intercessisse quæstionem, sed, quemadmodum totus contextus Reversalium, ut & instrumentum Recognitionis Commissariorum de acceptis Reversalibus, ab Episcopo Varmiensi, Simone Rudnicki, sine tituli Episcopi Sambiensis usurpatione subsignatum, innuit, id tum actum fuisse, ut Ordines Borussiæ Orientalis pactionem, anno 1611. inter Regem Poloniæ Regnique Ordines, & Domum Brandenburgicam factam, qua Serenissimo Electori Johanni Sigismundo Feudum Borussiæ, Ejusque fratribus germanis simultaneæ investituræ jus certis legibus & conditionibus collatum erat, et Elector Regiomonti templum in Romano-Catholicæ Religionis usum propriis ædificare sumtibus promiserat, consensu suo ratificarent,

carent, firmarent, ratam gratamque haberent.

Post hæc ad ea, quæ ex Responso Regis Poloniæ, anno 1616. die 10. Julii dato, adducta sunt, generaliter respondisse sufficiet, omnia illa, quæ de Romano-Catholicis Episcopis hoc Responso continentur, quamvis & hæc nullam Episcoporum Varmiensium, multo minus Sambiensis tituli mentionem faciant, cum ad pacta priora, eorumque præscriptum expresse provocent, lectoremque remittant, vel de Pactis, anno 1611. confectis, simpliciter intelligenda, & secundum eorum tenorem explicanda, vel absque juris effectu adjecta esse, cum in Regis Poloniæ potestate haud situm fuerit, Electori & Ordinibus Borussiæ invitis & non consentientibus talia quædam obtrudere, alia vero pacta, in quibus ista statuta sint, produci nulla queant.

Ea

Ea autem, quæ anno 1611. inter Regem Poloniæ Sigismundum III. & Electorem Johannem Sigismundum confecta, Ordinumque consensu munita sunt, & quibus Elector unum templum Regiomonti in usus Romano-Catholicæ Religionis exstruere, dotareque promisit, ac postea etiam re vera exstrui curavit, eique mille florenos annuos in dotem ecclesiæ & alimenta Parochi assignavit, nihil aliud de Episcopis Romano-Catholicis continent, quam quod jus præsentandi Parochum Electori competere, si tamen is, ejusque successores intra semestre spatium præsentare illum negligerent, Reverendissimo Episcopo Varmiensi, NB. *uti Episcopo viciniori*, de Parocho ei ecclesiæ providere, ipsumque instituere, liberum esse, atque ad eundem inspectio in doctrinam, mores & vitam Parochi, ab omni quidem jurisdi-

risdictione seculari, exceptis tamen casibus in jure Canonico expressis, exempti, pertinere deberet. Quæ verba perquam clare indigitant, nihil antea juris Episcopis Varmiensibus in Sambia fuisse. Quid enim his opus fuisset, si ipsis antehac jurisdictio Episcopalis in Sambia competiisset? Quia autem nullam antea jus in illa habuerant, ut pactis his supra memorata illis expresse concederentur, necesse erat; quæ tamen etiam respectu ipsius Ecclesiæ Patronatæ Regiomontanæ non ultra expressum eorum tenorem sunt extendenda, sed aperte ostendunt, per ea solam inspectionem in doctrinam, vitam & mores solius Parochi, & præter hanc nullam aliam jurisdictionem, sive jus quoddam diœcesanum & Episcopale Varmienses Episcopos obtinuisse.

Deinde facit omnino ad rem, uni-

versam Borussiam Orientalem cum omnibus feudis ecclesiâsticis et spiritualibus, ut veteres investiturarum literæ loquuntur, in feudum hæreditarium olim Domui Brandenburgicæ concessam esse, postea autem cum summo & absoluto imperio, tam in sacris, quam in profanis, ad Electorem Fridericum Wilhelmum, beatæ memoriæ, pervenisse; id quod omnem certe potestatem alienam illa in regione aperte excludit. Nec est, quod Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis dicat, jam anno 1466 per tum inita Pacta, Ecclesiam & Episcopatum Sambiensem nominatim cum castris, civitatibus, oppidis & Vasallis, ditioni Ordinis Teutonici adscriptum esse, neque tamen propterea desiisse titulum ibidem ac jus Religionis Catholicæ. Nam Episcopi, Sambiensis & Pomesaniensis, cum

ſuis Epiſcopatibus, eccleſiis & civitatibus, oppidis & omnibus pertinentiis non tum demum in poteſtatem & ditionem Ordinis Teutonici pervenere, ſed, ut jam ante illa Pacta Ordini antiquitus ſubjecti fuerant, cujus & regulam & veſtem acceperant, ita eo quoque tempore in ejus ditione, protectione & dominio relicti ſunt, nec quicquam reſpectu illorum mutatum eſt, ſed omne in priſtino ſtatu remanſit. Verum quid hæc ad Dominos Epiſcopos Varmienſes, & quid hi ex iis poſt mutatum plane rerum ſtatum, tam in eccleſiaſticis, quam in ſecularibus, pro ſe elicere poſſunt? cum, Ipſos nulla unquam memoria Epiſcopalem jurisdictionem in Sambia vel ante vel poſt ſeculariſationem habuiſſe, ex ſupra allatis liqueat.

Quare etiam, cum longe poſt ſeculariſationem Epiſcopus Johannes Stephanus

Wysga (*& non Lesczinius, neque in Pactis Velaviensibus, ut utrumque in scripto Episcopali assumptum est*) in pacis Olivensis subscriptione hunc usurpare titulum primus omnium auderet, scalpello eum eradere cogebatur; ex quo qua ratione Illustrissimus atque Reverendissimus Dominus Episcopus Varmiensis argumentum ducere possit, quod Episcopi Varmienses tum in possessione ejusdem tituli fuerint, nemo tam facile intelliget.

Dominum Episcopum Zaluskium vero multo post, nimirum anno 1699. in subscriptione tractatus de retradita Elbinga hunc titulum nomini suo apposuisse, negari quidem nequit. Sed considerandum est, autographa Pacti approbati & ratihabiti Elbingæ eo ipso tempore, cum copiæ Brandenburgicæ ex urbe emigrarent, tanta festinatione, tamque tumultuarie

permutata inter Paciſcentium Miniſtros fuiſſe, ut Brandenburgicis, exemplaria recte accurateque perluſtrare, & unum cum altero conferre, vel tale quid attendere non licuerit, ſed hi id præcipue ſibi curandum putaverint, ut gemmæ, quæ pro pignore à Polonis dandæ erant, ante ſibi extraderentur, quam omnis miles Brandenburgicus penitus ex urbe Elbingenſi exceſſiſſet; quemadmodum Polonici Deputati id potiſſimum agebant, ut pignoris traditionem differrent, donec maxima pars copiarum oppidum evacuaſſet, & reliquæ etiam excedere pergerent; id quod utramque partem impedivit, quo minus omnem alias ſolitam exactitudinem & circumſpectionem hoc in negotio adhiberent.

Deinde quoque manifeſtum eſt, de titulo hoc tunc temporis non tractatum, multo

multo minus Ministros Brandenburgicos super eo concedendo instructos fuisse. Quare etiam Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Varmiensi prodesse nequit, quod hoc modo, sine attentione & observatione Brandenburgicorum Ministrorum, & sine expresso eorum consensu, præsertim in re, antea Domino Episcopo Wysga disputata & denegata, factum est, & Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ tanto minus præjudicium afferre potest, cum nullo prorsus jure Dominum Episcopum Zaluskium tale vocabulum nomini suo adscripsisse, ex jam dictis planum sit & perspicuum, ac idem Dominus Episcopus Zaluskius postea in omnibus suis literis, ad Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ beatissimum Dominum Patrem, Ejusque Administros Berolinenses perscriptis, nunquam aliter, quam Episcopum Varmiensem

ensem se prædicaverit, titulo autem Episcopi Sambiensis penitus abstinuerit.

Quod tandem ad ea attinet, quæ in Episcopalibus scriptis toties de literis repetuntur, quas Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ Administri Regiomontani anno 1725, die 29. Decembris, ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum Varmiensem jussu Regis exararunt, ad ista in priori deductione sufficienter responsum est.

Quid autem hæc sibi verba velint, ubi in scriptis Episcopalibus dicitur: *per literas illas hanc tituli quæstionem affectam esse statui Reipublicæ*, ut propria sunt verba, non satis percipi potest. Nam ut Serenissimum Regem & inclytam Rempublicam Poloniæ hæc quæstio proprie non afficit, ita sane Serenissimi Regis Borussiæ mens nunquam fuit, ut eam judicio et arbitrio Reipublicæ

ſimpliciter permitteret, ſed ea fuit intentio, ut res inter Miniſtros ſuos, & Sereniſſimi Regis ac inclytæ Reipublicæ Poloniæ Delegatos, ad colloquia cum ipſis ſuper variis aliis negotiis inſtituenda, jam diu denominatos, eo amice dirigeretur, ut Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus tali titulo abſtineret. Sed quoniam hac non ſucceſſit via, alia rem aggrediendam eſſe exiſtimavit, atque Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum certiorem reddi curavit, Regimen Regiomontanum non accepturum eſſe Ipſius literas, in quibus iſtiusmodi titulo uſurus eſſet, et, cum nihilominus tales perſcribere pergeret, eas Ipſi remitti juſſit.

Non autem hoc fecit, quod præſens tempus opportunius alio, ad impugnandam injuſtam illius tituli uſurpationem judica-

dicaverit, ſed quia neceſſitas omnino efflagitavit, ut jura ſua ſarta tecta contra molimina Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſopi conſervaret, quæ Ipſe indies magis magisque violare ſtudet, ut in priore deductione variis oſtenſum eſt exemplis, quamvis generaliter tantum indicatis; quæ, ſi quis exſequi pleniſſime vellet, in vaſtum volumen hoc ſcriptum excreſceret.

Cum illuſtriſſimus atque Reverendisſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis autem cauſæ matrimonialis Wawrowskii mentionem injecerit, breviter illam enarrare lubet, ut tanto magis conſtet, quantopere Regiis juribus derogare, et non competentia ſibi arrogare ſtudeat. Jacobi nimirum Wawrowskii, Nobilis et Vaſalli Regis, ac incolæ Præfecturæ Ortelsburgenſis, uxorem, Euphemiam ab Habichten,

bichten, ex ipsa Præfectura oriundam, et in ea prædium possidentem, Romano-Catholicæ Religioni addictam, quia memorato Wawrowskio, Religionem Evangelicam profitenti, sibique in gradu, qui non in sacro codice, sed legibus civilibus prohibitus est, propinquo, non invita, nec coacta, ut in scripto Episcopali dicitur, sed lubens, in præsentia curatorum & cognatorum, iis solennitatibus, quas mores Regni requirunt, Regia impetrata venia & concessione, ante duos jam annos nupserat, ad sacram cœnam admitti, eamque marito amplius cohabitare vetuit, &, à Rege impertitam dispensationem irritam & nullam declarans, pertinaciter quidem, sed frustra expetivit, ut ipsa post aliam à Pontifice Romano, qui tamen nullam in Borussia Orientali jus habet, obtentam dispensationem, quam Ipse, inscio marito, procura-

curavit, in Varmia denuo per Sacerdotem Romano-Catholicum cum marito copularetur. Qua occaſione alius etiam caſus ſilentio non prætereundus videtur, ubi Parochus Biſchburgenſis haud ita pridem, cum ſartor & civis Biſchburgenſis certam quandam fœminam parochiæ Reinsweinenſis in Præfectura Ortelsburgenſi, ſacris Evangelicorum utentem, in matrimonium duxit, idem facere auſus eſt, & eos, nulla vel propinquitate, vel affinitate ſibi conjunctos, riteque antea in Præfectura Ortelsburgenſi copulatos, iterum copulavit, quaſi contubernia & adulteria reputanda eſſent caſta conjugia, quibus Evangelici hoc modo cum Romano-Catholicis coeunt. Quæ omnia certe Sacræ Regiæ Majeſtatis jura valde lædunt & violant, nec non in apertam vergunt contumeliam Religionis Evangelicæ.

Huic

Huic, & reliquis in priore deductione indicatis exemplis plura addi possent, si necessitas efflagitaret. Illud unicum tamen adhuc commemorandum videtur, Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum eousque processisse, ut Parochum Regiomontanum, quem Rex præsentat, nutrit & alit, ut & Jesuitas, tum Tilsenses, tum Lindenses, qui nullum omnino ibidem, vel in reliquis Borussiæ Orientalis partibus commorandi jus habent, sed ex sola indulgentissimi Regis gratia & conniventia hactenus tolerati sunt, pro Rege, Domino, Protectore, Benefactore & partim Patrono suo, publice pro concione una cum populo Ipsi subdito orare, non dubitaverit vetare; id quod in alia unquam factum esse regione, nemo facile exemplum suppeditare poterit.

Cum itaque ex his omnibus ſole meridiano clarius eluceſcat, quam injuſte Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis ſibi talia arroget, & quam periculoſum ſit, vicinis Dominis Epiſcopis quicquam in illis concedere vel indulgere; Sacra Regia Majeſtas Boruſſiæ, licet iis, quæ ad interna eccleſiæ, ipſamque fidem pertinent, ſe immiſcere non cupiat, jure meritoque à Sereniſſimo Rege & inclyta Republica Poloniæ contendit, ut auctoritate ſua eo rem dirigant, ne Illuſtriſſimi et Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, tum Varmienſis, tum Culmenſis, cui non minus, quam illi ſupra adducta obſtant, affectatis iſtiusmodi titulis, nullo modo ipſis competentibus, uti pergant, vel jus diœceſanum, aut jurisdictionem Epiſcopalem in Regio territorio contra Pactorum tenorem ſibi arrogent, ſed his, et omnibus aliis

rebus, quæ ad violanda et labefactanda Regia jura tendunt, abstineant; id quod à Serenissimo Rege et inclyta Republica Poloniæ impetraturam se esse, non tam sperat, quam certo confidit.

VI.

Variæ literæ ad rem hanc pertinentes.

Nro. 1.

Literæ Dominorum ad Regimen Regni Borussiæ constitutorum Consiliariorum Status intimorum ad Dominum Episcopum Varmiensem, quibus hunc admonent, ne Episcopi Sambiensis titulum usurpare denuo incipiat.

Celsissime, Illustrissime ac Reverendissime Princeps, Domine Observandissime.

GRatum quidem atque acceptum fuit Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ, Domino nostro clementissimo, cum ante aliquot menses relatum accepit, Illustrissimæ atque Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ ad nos tunc temporis ablegato Judici Generali, Domino Chiliarchæ Stanislawski, factas à nobis repræsentationes eum habuisse effectum, ut Illustrissima atque Reverendissima Celsitudo Vestra in postea ad nos exaratis epistolis Episcopi Sambiensis titu-

lum omiserit. Cum vero ægre nunc Ipsa cognoverit, Illustrissimam atque Reverendissimam Celsitudinem Vestram, in literis, quas occasione querelarum civis hujus civitatis Schultzii contra Jesuitas Brunsbergenses, ad nos nuper perscripsit, eo denuo titulo usam esse, mandato Ipsius Illustrissimam atque Reverendissimam Celsitudinem Vestram hisce etiam atque etiam rogamus, ut, si literarum commercium cum Sacra Regia Majestate, vel nobiscum continuare visum Ipsi fuerit, eodem imposterum abstineat. Tota enim Sambia cum Sacræ Regiæ Majestatis imperio, tum in ecclesiasticis, tum in profanis, subjecta sit, Ipsa Illustrissima atque Reverendissima Celsitudo Vestra, tanta à DEO ter optimo maximo prædita sapientia, facili negotio agnoscet, patienti Eam non posse animo ferre, ut alius se Episcopum istius provinciæ scribat. Quare etiam non dubitamus, fore, ut justo huic nostro desiderio locum relinquat. Quam de cetero quam diutissime bene valere cupimus, atque divinæ tutelæ etiam atque etiam commendamus.

Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ
ad Regimen ejusdem Regni
constituti Consiliarii Status
intimi

Illustrissimæ ac Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ

Dabantur Regiomonti die 7. Septembris
1725.

Observantissimi

A. Dohna. L. ab Ostau.

Inscriptio:

Celsissimo, Illustrissimo ac Reverendissimo Principi, Domino Christophoro Joanni Comiti in Stupow Szembeck, Episcopo Varmiensi, Domino Observandissimo.

Nro. 2.

Nro. 2.

Reſponſoriæ Domini Epiſcopi Varmienſis ad præinſertas literas.

Illuſtrisſimi & Excellentisſimi Domini, Domini Amici Obſervandisſimi.

EX literis Excellentiarum Veſtrarum, ad me die 7ma Septembris datis, intellexi, priora mea ſtudia & officia iisdem utcunque placuiſſe, non item ſecundaria. Et quidem ut arbitror non ex eo, quod utraque fuerint æque juſtitiæ conformia, ſed quod in anteriori epiſtola quaſi titulus Epiſcopi Sambienſis ſtudio fuerit omisſus. Nunc autem Illuſtriſſimis Excellentiis Veſtris palam volo facere, quod hujusmodi innoxiam atque ſuccinctam circumſcriptionem meam minime putabam prætenſæ ſubjacere poſſe cryſi. Cum vero præter opinionem meam redarguor de poſterius appoſito hujusmodi titulo mihi antiquitus tanquam Epiſcopo Varmienſi undequaque competenti, excuſarem quidem ſubreptionem, ſi ſcirem eandem vel alterius juris læſivam vel mei præjudicioſam. Verum cum Præſulibus Romano-Catholicis per totam Chriſtianitatem non ſolum in literis privatis, ſed etiam in publicis diplomatibus ordinaria praxi uſitatum habeatur, ſolo utplurimum Epiſcopi nomine ſubſcribi, quinimo & Regibus ipſis citra cujusquam dignitatis vel jurisdictionis jacturam, mirum eſſe nequit, me forma & ſtylo tali privatam epiſtolam ad Excellentias Veſtras ſubſcripſiſſe, neque per hoc tacitam vel expreſſam renunciationem tituli & dignitatis Epiſcopatus Sambienſis argui poſſe, & vel maxime quæ tum legibus eccleſiaſticis, tum ſpecialiter juribus Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini mei clementiſſimi & Reipublicæ præjudicioſa forent, id me ſtudio voluiſſe, vel etiam factum ſubſiſtere poſſe, nemo juſte judicabit. Quidquid autem reponitur de translatione dominii Epiſco-

piſcopatus Sambienſis ad poteſtatem ſecularem, manifeſtum eſt, titulum, qui ſæpius ſuper eadem ditione pluribus diverſo reſpectu convenit, cum dominio temporali non confundi, ejusdem Epiſcopatus Sambienſis cum Epiſcopatu Varmienſi inſimul pridem junctum, & à tanto tempore pacifice cum jurisdictione Eccleſiaſtica per anteriores Prædeceſſores meos & immediatos poſſeſſum, exercitum, atque in ſubſcriptionibus publicis & privatis continuo absque quæſtione ulla practicatum, in dubium vocari non debere nec poſſe. Quare cum Excellentias Veſtras perſpicaciſſimo & conſummatiſſimo pollere judicio non ambigam, præmiſſa omnia fruſtra in controverſiam adducta facile comprehendere, novamque anſam per talem innovationem ad irritandam Rempublicam, ſatis jam aliunde exacerbatam, non ſubminiſtrare, denique me inutilem ad conciliandam ab utrinque bonam harmoniam, & officia mutua reddere minime dubito, ſimulque credere cupio, quod ſum. Dab. Varſaviæ 11ma Octobris 1725.

Veſtrarum Illuſtrisſimarum Excellentiarum

Ad quævis officia & ſtudia paratisſimus
Chriſtophorus Joan Szembek,
Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis.

Inſcriptio:

Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Dominis, Dominis, Sereniſſimi Regis in Pruſſia ad Regimen ejusdem Regni conſtitutis Conſiliariis Status intimis, Dominis Amicis obſervandiſſimis.

Nro. 3.

Nro. 3.

Literæ prædictorum Dominorum ad Regimen Regni Borussiæ constitutorum Consiliariorum Status intimorum ad Dominum Episcopum Varmiensem, quæ toties in deductionibus Episcopalibus sunt allegatæ.

P. P.

EX Illustrissimæ atque Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ, die 11. mensis Octobr. a. c. ad nos datis literis uberius perspicere nobis licuit, quibus innixa rationibus, Episcopi Sambiensis titulo abstinere se non posse, arbitretur. Quas multis quidem gravissimis argumentis convellere ac labefactare integrum nobis esset, demonstratuque perquam facile, Sambiæ Episcopatum nec unquam Varmiensi junctum fuisse, nec ullo plane jure jungi potuisse, sed provinciam hanc peculiares suos semper habuisse Episcopos. Quare etiam longe post ipsam reformationem Pacta de anno 1611. Episcopo Varmiensi, non ut ordinario, sed, quod bene notari meretur, tanquam viciniori, quæ expressa Pactorum verba sunt, inspectionem in doctrinam, mores & vitam Parochi Romano-Catholicæ, quæ hic est, Ecclesiæ tribuerunt. Imo, Illustrissimæ atque Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ Illustrissimos Prædecessores in subscriptione Pactorum, tum jam nominatorum, tum Velaviensium & Olivensium, nullo alio, quam Episcopi Varmiensis titulo usos fuisse, publica instrumenta, ab iis quoque subsignata, satis manifeste testantur; quæ sola, ad justitiam & æquitatem desiderii Regis ac Domini nostri clementissimi, cujus summo jam & absoluto imperio, tam in ecclesiasticis, quam in profanis, Sambia cum reliqua Borussiæ orientalis parte, vi pactorum, inter Poloniam & Borussiam Orientalem olim initorum, subjecta est, luculenter evincendam sufficerent. Verum, cum Sacra Regia Majestas,

ſtas, Dominus noſter clementiſſimus ſibi blandiatur, brevi fore, ut, quæ inter ſe & inclytam Rempublicam Poloniæ ortæ ſunt diſſenſiones & diſcordiæ, per amicabilem tandem compoſitionem, & ex animi ſententia ſopiantur, nullumque dubium ſit, quin tum ſimul hoc quoque negotium componi amice, talique tranſigi modo potuerit, ut utrique parti in eo acquieſcere liceat, prolixioribus repræſentationibus deductionibusque, quas graves Ipſi eſſe ſentimus, Illuſtriſſimæ atque Reverendiſſimæ Celſitudini veſtræ moleſtiores eſſe nolumus, ſalvum tamen interea ac incolume omne jus competens Regi ac Domino noſtro clementiſſimo reſervantes. Quod reliquum eſt, Illuſtriſſimam atque Reverendiſſimam Celſitudinem Veſtram divini Numinis tutelæ perquam diligenter commendatam cupimus, Eidemque ſimul, quæ à nobis proficiſci poſſunt officiorum & ſtudiorum genera, obſervanter deferimus. Dabantur Regiomonti die 29. Decembr. 1725.

Subſcripſerunt:

A. Dohna. L. ab Oſtau.

Nro. 4.

Literæ Eorundem, quibus Domino Epiſcopo Varmienſi ſignificant, nullas ſe amplius ab Ipſo accepturos eſſe literas, in quarum ſubſcriptione titulum Epiſcopi Sambienſis nomini ſuo apponeret.

P. P.

NObis dubium non eſt, quin Illuſtriſſima ac Reverendiſſima Celſitudo Veſtra eorum recordetur, quæ ſuper titulo Epiſcopi Sambienſis, ab Ipſa hactenus uſurpato, aliquot ante annos ad Ipſam perſcripſimus. Speravimus quidem non ſine ratione, tanto tem-

poris

poris spatio Ipsi relicto, Illustrissimam atque Reverendissimam Celsitudinem Vestram rem melius perpensuram, & sponte istiusmodi tandem titulo abstenturam, eoque ipso ulteriorem de illo contentionem evitaturam fuisse, quæ Sacræ Regiæ Majestati, Domino nostro clementissimo, non minus molesta, quam Illustrissimæ atque Reverendissimæ Celsitudini Vestræ injucunda & gravis existit. Verum cum in literis suis, ad nos exaratis, eo uti continuo pergat, varii autem casus magis magisque edoceant, quam periculosum sit, titulum hunc porro admittere, qui Illustrissimæ atque Reverendissimæ Celsitudini Vestræ ansam præbere videtur, plura Sibi in Serenissimi Regis nostri ditione sumendi, quam vi pactorum postulare potest; Sacra Regia Majestas, Dominus noster clementissimus, juribus suis melius prospiciendum atque consulendum esse existimavit, nobisque injunxit, nullas posthac literas, vel alias scripturas, in quibus Illustrissima atque Reverendissima Celsitudo Vestra hunc sibi tribuerit titulum, accipere, sed eas, non reddita responsione, Ipsi remittere. Quod uti Regio mandato morem gerentes Illustrissimam atque Reverendissimam Celsitudinem Vestram hisce celare noluimus; ita Ipsam enixe rogamus, ut æquitatis & justitiæ rationem habens, quibus Regis desiderium innititur, in suis in posterum ad nos perferendis literis, vel aliis nobis exhibendis scripturis, tali titulo non amplius utatur, quo, ut valde optamus, supersedere possimus, eas Ipsi remittere, & mutuum nobis liceat literarum commercium cum Ipsa continuare. Cui de cetero optimam salutem & prosperos rerum successus à DEO ter optimo maximo apprecamur. Dabantur Regiomonti die 9. Februarii 1732.

Subscripserunt:

J.F. à Lesgevvang. F. à Tettau. A.E. de Schlieben. G. ab Eulenburg. J.D. à Cunheim.

Nro. 5.

Literæ Eorundem, quibus Eidem literas absque responsione remittunt, in quibus Ille titulum hunc denuo usurpavit.

P. P.

LAxatis literarum vinculis, quas Illustrissima atque Reverendissima Celsitudo Vestra die quarta mensis præsentis ad nos dedit, ægre perspeximus, Ipsam in subscriptione earum incompetentem titulum denuo usurpasse, licet Illustrissimam ac Reverendissimam Celsitudinem Vestram jam dudum de accepto Serenissimi Regis, Domini nostri clementissimi, mandato certiorem fecerimus. Cum itaque ad literarum harum argumentum nobis haud liceat respondere, Regis præcepto obtemperantes, eas Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudini Vestræ remittimus. Quam de cetero divinæ tutelæ perquam diligenter commendatam cupimus. Dabantur Regiomonti die 22. Julii 1732.

Subscripserunt:

J. F. à Lesgevvang. F. à Tettau. A. E. de Schlieben. G. ab Eulenburg. J. D. à Cunheim.



